

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

De secundo

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](#)

lus. Aequo proinde animo Crucis onus subeamus. Quamvis enim disciplina in præsenti quidem videatur, non esse gaudii, sed mœrotis: fructum tamen tranquillum exercitatis per illam reddet justitiae, Hebr. 12. v. 11. Hucigitur oculos intendamus. Ecce, agricola expectat pretiosum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat imbre temporaenum & serotinum. Patientes igitur estote & vos, & conformatte corda vestra: quoniam adventus Domini appropinquavit, Jac. 5. v. 7. 8. ibi non gaudium mundanum transitiorum: sed abundantiam gaudiorum expectamus cum vultu Dei, & delectationes in dexterâ ejus in æternum, Psalm. 16. vers. ult.

De Secundo.

SEquitur Medela, quæ fluit
I. Ex Christi in corrigendo humanitate.
Non enim acerbè eos increpat, siquidem mitis est, Matth. 11. v. 29. sed opinionem de Regno terreno illis eximit, explicans conditionem & qualitatem Regni sui, quæ non consistit in dominando & regnando, sed in serviendo, quod suo ipsius exemplo ostendit, & probat.

De hac Messiae lenitate, quæ in arguendo usurpus sit, dudum prædictum est, 2. Sam. 7. v. 14. Esa. 42. v. 1. seqq.

Hinc solatum nobis emergit. In multis nos offendimus omnes, Jac. 3. v. 2. etiam justus in die septies cadit, Prov. 24. v. 16. Hoc quidem Deus in verbo reprehendit in nobis, sed non illico abjicit nos à facie sua, ut Ahasverus Vasthi immorigeram-

repudiavit, Esther, 1. v. 21. sed cum ceciderit benedictus Dominus, non projicitur, quia Dominus sustentat manum suam, Psal. 37. v. 24.

Sic Davidem propter adulterium & Homicidium, 2. Sam. 12. v. 7. 13. & Petrum propter abnegationem non abjecit, sed in gratiam recepit relapsentes, Luc. 22. v. 61.

Quid mater facit, filium habens infirmum? Non sane abjicit illum, aut neglit, sed propter infirmitatem, eò accuratiorem ejus curam gerit. Sic & Servator noster animo in nos verè paterno & materno accensus est, Psal. 103. v. 13. Esa. 49. v. 15. unde ex cordiali patientia & mansuetudine, qua nos prosequitur, delinquentibus nobis per Paulum dicit: Fratres, si præoccupatus fuerit homo, in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujuscemodi instaurate in spiritu lenitatis Gal. 6. v. 1. Caussa hæc est, quia Deus patienter agit propter nos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti, 2. Petr. 3. v. 9.

Quando igitur Deus te peccantem arguit in verbo, vel per præcones tuos, reputa esse verbata diligentis, quibus te emendare & ad pœnitentiam adducere satagit.

Cum Paulus minas & cœdes (piraret) in discipulos Domini, objurgabat eum Christus voce cœlitus delaplæ: Saul, Saul, quid me persequeris? Sed hoc mediū erat conversionis ejus, Act. 9. v. 1. seqq. Disciplinam igitur Domini ne abjicias, nec irascaris, cum ab eo corriperis: quem enim diligis?

diligit Dominus corripit: & quasi Pater in Filio beneplacitum habet, Proverb. 3. v.11.12.

II. *Ex singulari Christi humilitate.* Fuit enim in medio discipulorum suorum, sicut qui ministrat, ut ipse hic ait. Quo ipso nobis non modo exemplum humilitatis praebuit, ut hanc ab illo disceremus, Matth. 11. v.29. sed & ardenter suam, in nos caritatem ostendit, quam benevolè in nos affectus sit, qui proposito fibi gaudio sustinuerit crucem propter nos, confusione contemta, Hebr. 12. v.2. Phil. 2. v.6. 7. omnia eo fine, ut nos Dominos, & Reges atque Sacerdotes constitueret coram Deo & Patre ejus, Apoc. 1. v.6. ut recte exclamemus cum Davide: Quid homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum? Psal. 8. v.5.

Protoplasti nostri non contenti erant, ut ceu servi Altissimi, servirent coram ipso in justitiâ & sanctitate omnibus diebus, Luc. 1. v. 74. neque contenti erant Dominio totius mundi, quod Deus ipsis concederat, Gen. 1. v.28. sed & Deo assimilari volabant, Gen. 3. v.5. hanc eorum superbiam expiavit Christus, factus servus Patris sui, ut dicitur, Esa. 49. v.6. c.52. v.13. immo minister hominum, dum non modo pedes discipulorum lavit: sed & sermonem Evangelii prædicavit, & pertransiit, benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, Act. 10. v.37.

Laboravit pro nobis fideliter & assidue, ut ipse ait, Esa. 43. v. 24. 25. ut calcans in torculari, Esa. 43. v.2. dum factus est sudor ejus, tanquam guttæ sanguinis, decurrentes in terram, Luc. 22. v.44.

Nos servire in æternum debebamus in ergastulo Diaboli. A quo enim quis superatus est, hujus & servus est, 2. Petr. 2. v.19. at Christus servus servorum factus est, ne in æternum serviremus: hinc si filius nos liberavit, verè liberi sumus, Joh. 8. v.36.

Si quis in V. T. mancipium habebat, illud anno Jubilæo adventante liberum dimittere cogebatur, v. legis, Levit. 25. v.39. seqq. Sic & nos Satanæ mancipia facti, sub peccato venundati fuimus, Rom. 7. v.14. Verum ut lœtissimum Jubilæum in Christo cœpit, Satanæ nos dimittente coactus est, fortior enim superveniens vicit eum, Luc. 11. v.22. & dissolvit opera ejus, i. Joh. 3. v.8. Gratias igitur Deo, quod sumus servi peccati, obedivimus autem ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi sumus. Liberati autem à peccato, servi facti sumus justitiae, Rom. 6. v.17. 18.

III. *Ex futuri nostri status jucunditate.* De qua Servator ad discipulos: Vos autem estis, qui permanistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono &c.

Apostoli cogitare potuissent, si in mundo nulla nobis tecum voluptas speranda, sed aliis serviendum, & nil nisi miseria & perfectiones preferenda erunt, stolidè sanè egimus, quod omnia nostra reliquimus, & te secuti sumus, ut & Petrus argumentatur, Matth. 19. v.27. idèò ipsis Servator solatium suggestit, & q. d.

Durate, & vosmet rebus servate secundis!

non enim frustra me fecuti estis, sed copiosam mercedem expectabitis, si non in terra, certè in cœlo. Quod declarat ipsis triplici simili:

1. Sub imaginî Regni. Ait enim: Dispono
lxxx 3 vobis

vobis , sicut disposuit mihi Pater meus Regnum. Id est Regnum gloriae , ubi gloriam suam tam Angelis , quam electis manifestat , ubi Sol & clypeus est Dominus , gratiam & gloriam dabit , nec privabit bonis , eos , qui ambulant in innocentia , Psal. 84. v.12. imponit illis triplicem coronam : coronam vitae , Apoc. 2. v. 10. coronam iustitiae , 2. Tim. 4. v. 8. & immarcessibilem gloriae coronam , 1. Petr. 5. v. 4. quam ceu Reges gestabimus in æternum , Apoc. 1. v. 6. Compatiamur igitur Christo , ut & conglorificemur , Rom 8. v. 17.

2. Sub imagine convivii . Ut edatis & bibatis super mensam meam in Regno meo , ait porrò Servator . Quod non ita capendum , quasi in vita æternâ corporali cibo & potu nos refecturi simus . Regnum enim Dei non consistit in cibo & potu : sed in iustitia , pace & gaudio Spiritus sancti , Rom. 14. vers. 17. erimus quippe iudei si loxi , Matth. 22. v. 30. non esurientes , neque sitientes amplius , Apoc. 7. v. 16. Allegoricè igitur Christus discipulis suis gaudium vitae æternæ adumbraturus est . Sicut enim latet , quando Deus sternit Mensam nature , & educit panem è terra , ut confirmet cor hominis , & vinum , ut latificet cor hominis , Psal. 104. v. 15. 16. & instruit Mensam gratiae , quam ornat pane & aqua vitæ , Joh. 4. v. 14. cap. 6. v. 48. qui est Christus in verbo & Sacramentis . Ita & exultabimus , quando nobis instruet Mensam gloriae , ubi in visione Christi & SS. Trinitatis , comedemus , saturabimur & jubilabimus , Esa. 65. vers. 13. 14. Psalni. 23. v. 5. 6.

3. Sub imagine judicii . Sedebitis , ait Servator , super thronos , judicantes duo-

decim Tribus Israel . Evidem Christus constitutus est à Patre judex vivorum & mortuorum , Acto. 10. v. 42. attamen & Apostoli judicabunt , non autoritatè , ut Christus : sed 1. testificativè per verbum quod prædicarunt , & Ecclesie reliquerunt . 2. approbativè , dum Christi sententiam approbabunt , ad quam gloriari etiam omnes electi pertingent . Vide 1. Cor. 6. v. 1. 3.

Hinc iucunda consolatio fluit , pro iis , qui in hoc mundo sèpè inique iudicati & condemnati sunt , sicut Nabothus ab Achabœ & Isabele , 1. Reg. 21. v. 13. Susanna à duobus iudicibus . Hist. Suf. v. 41. Stephanus , ad columnas Judæorum , Act. 7. v. 57. 58. Die novissimo ipsos falsos iudices vos iudicabitis , vos mei , videntes illi id , turbabuntur timore horribili , & mirabuntur in subitatione insperatae salutis , gementes præ angustiâ spiritus : & dicentes intra se &c. Sap. 5. v. 2. seqq. Vos vero oculis vestris considerabitis , & retributio nem impiorum videbitis , Psal. 91. v. 8.

De Tertio.

R Estat Cautela , quæ tribus absolvitur Regulis , ut sunt ,

I. Magistratum DEI ordinem agnoscere . Christus hic officium Magistratus politici non improbat , sed innuit saltem , quid illorum officii sit , videlicet dominari & beneficium esse , & hoc ipso omnes subditos ad obedientiam Magistrati præstandam , hortatur , quod & Paulus facit , Rom. 13. v. 1. seqq.

Hæc Regula non tantum ad bonos & æquos , sed & ad discolos se extendit , monente